

D'E

# SACRA SCRIPTURA.

I. Revelatæ Theologiæ unicum, solum & solidum fundamentum est, Sacra Scriptura, secundum illud Paulinum, Eph. 2. v. 20. ἐπικοδομηθέντες ἑπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων, καὶ θεμελίῳ ὄντι αἰκωνιδίᾳ ὡς τὸ Ἰησοῦς Χριστὸς.

2. Quando vero de Fundamento & norma Theologiæ queritur non absolute eam intelligimus, sed respectu partium litigantium, sc. quando cum Ethnico de Religionis Christianæ Capitibus mihi disputandum aliter progredior, ac cum mihi agendum cum Judæo, & iterum aliter quando mihi cum Pontificio, alioque Adversario terra reciprocanda.

3. Si enim contra Plinium Ethnicum demonstrare voluero Mundum non esse ab æterno, sed Spatio sex dierum ex nihilo à Deo creatum, & ex Mosis testimonio id voluero probare, aëra pulsabo, siquidem Mosis scripta non agnoscit pro fundamento & norma: Similiter si Messiam venisse ex N. Testamento contra Judæum probavero incassum laboro, siquidem ille N. Testamenti scripta non habet pro fundamento & Norma: Ubi vero cum Pontificio mihi agendum erit, aut alio cum Adversario, ibi ad solam provoco scripturam, rejectis Papa & Traditionibus cum Conciliis.

4. Argumenta verò solida nostræ dictæ thesæos sunt hæc: *Primum*, Quod ipsi Pontificij nolentes volentes, ultimo provocare coguntur ad Sacram Scripturam. Hinc enim ut Pontificij concilient Autoritatem Ecclesiæ & Traditionibus, provocant ad Scripturam, sicuti videre est apud Bellarminum lib. 1. de Pontif. Romano c. 10. & lib. 4. de eodem cap. 1.

5. Et quamvis Gretzerus in responso ad Theses D. Hunnij de Colloquio cum Pontificiis in eundo pag. 257. excipiat: Scripturam citari, non tanquam judicem, hinc tamen cadunt sua causa, nam ubi pro autoritate Ecclesiæ,